

contentus nobiscum vivere maluerit, quam suo abitu
ullam avaritiæ suspicionem post se relinquere.

Quis ergo, Auditores, virum hunc *κόσμιον*, hoc est,
Episcopum à Deo ipso ornatum, fuisse neget? quem
tanta virtutum cohors reddidit commendabilem: quem
omnes certatim officijs, benevolentia, obsequijs, bene-
ficijs ornare cupiebant, imo qui se ipsum vita, doctrina,
moribus, mirificè ornabat.

Atq; utinam ornatissimus hic **DOCTOR** Ecclesiæ
nobisq; viveret! Sed quia Deo placuit ipsius anima,
amplius adhuc ornandus erat; Corona nempe Iustitiæ &
vitæ æternæ.

Hæc ergo curriculo hîc consummato, & morbo
quatruiduano vires corporis opinione citius prosternen-
te, animaq; morte placidissima 14. Septembris circa no-
nam matutinam in sinum Abrahæ deportata, ipsi, an-
gelis in coelo triumphantibus, est imposita: cum non
tantum toto morbi tempore totum se divinæ volunta-
ti tradidisset, sed & socerum lecto astantem, his admo-
dum emphaticis vocibus, eximio planè animi præsen-
tissimi & verè Theologici exemplo, compellasset.

*Reverende socer, spero equidem, me, si
DEVS ita voluerit, ex hoc morbo evasurum; sin vero aliter divina visum fuerit pro-
videntia, cui vivimus & morimur, ego qui-
dem paratus sum: tu vero luctui modum sta-
tue, & constantem animum Theologicum
sume.*

Etsi enim vir beatissimus, morbi vehementiam &
malignitatem initio non sentiret adeo, ut inde mortis pe-
riculum